

DE CONSCIENTIA.

§. 5. Hinc facile constat, quid per *casum practicum* intelligatur: quæstio scilicet controversa aut dubia, quæ concernit praxin vel actionem, an sit suscipienda, an non, an hoc vel illo modo, an licita sit an non licita? vocatur ab aliis *casus conscientia*, quia talis quæstio controversa sæpius *conscientia* negotium faceffit, donec rectum iudicium formet, in quo quis acquiescere, aut certi quid statuere possit. Vid. B. König. *cas. conf. proæm.*

§. 6. Circa id quod dictum est, casum practicum esse quæstionem controversam; *quæ praxin concernit*, dubium oritur: nam ad casus practicos refertur etiam solent quæstiones de credendis & non credendis, an huic vel illi propositioni assensus sit præbendus, an non; assensus verò est actus intellectus, adeoque non est praxis, cum praxis non sit operatio intellectus, sed alterius facultatis. E. datur casus practicus, qui non est quæstio *concernens praxin*, sed actum aliquem intellectus, qui non est praxis. Resp. Falsum est, quod operatio intellectus non sit praxis: Si enim dari potest actus, qui operationem intellectus vel intellectionem præscribit, quod, vel quomodo institui debeat, qui formaliter practicus est, sequitur operationem intellectus v. g. assensum esse praxin: antecedens est verum. E. & consequens. Consequentia patet, quia actus formaliter practicus inde habet suam appellationem, quod praxin præscribit vel dirigit: si ergo præscribit vel dirigit operationem intellectus, utique operatio intellectus etiam praxis est; anteced. patet, quia v. g. hic actus, qui præscribit sub ratione revelationis divinæ assensum præbendum esse huic propositioni, *Christus est verus Deus*, est formaliter practicus, & præscribit operationem sive actum intellectus, nempe assensum.

§. 7. Definire potest casus conscientia, quod sit quæstio de actione, quæ vel propter legis, ad quam conformari debet, difficultatem aut obscuritatem, vel propter circumstantiarum, quibus involvitur, varietatem & perplexitatem, inter honestum & inhonestum, licitum & illicitum, in ambiguo posita est, ut agentis animus non illico iudicare possit, *quid aut quomodo agendum, quid omittendum*, salvâ autoritate legis & benevolentia divinæ. Vid. B. Dürr. *Theol. moral. p. 50.*

§. 8. Sicut autem Arist. l. i. Top. c. ii. docet, quod non oporteat omne problema, aut omnem thesin in quæstionem vocare, e. g. an sol luceat, an nix sit alba nec ne? ita casus, qui conscientia dicuntur, & de quibus h. l. sermo est, non moveri debent ex quibuslibet rebus, v. g. quæ